



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

HONIARANA*

NOVA IN SALOMONIIS INSULIS PROVINCIA ECCLESIASTICA
CONSTITUITUR, IN QUA CATHEDRALIS ECCLESIA
HONIARANA METROPOLITANAE SEDIS GRADU INSIGNITUR

«Laetentur insulae multae »; vere laetentur : nam spirante Dei gratia atque praeconum Evangelii industria, christiana fides in Salomoniis Insulis ita currit atque clarificatur (cfr. *2 Thes.* 3, 1), ut visum sit Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis, ibi loci, quasi Ecclesia ad maturitatem pervenerit, novam Provinciam ecclesiasticam condere, ad christianam religionem incrementis augendam, maxime quod recens Insulae illae sui iuris factae sunt. Qua re, Nos, ad Beati Petri Sedem nuper evecti, ea omnia rata habentes, quae Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione proposuit, haec quae sequuntur Apostolica Nostra potestate decernimus dioeceses Honiaranam et Ghizotanam, seu totum territorium novae Civitatis Insularum Salomoniarum, a metropolitanae Ecclesiae Rabaulensis iure eximimus. Harum autem Ecclesiarum priorem in metropolitana dignitate constituimus, altera erit ei suffraganea. Venerabilem Fratrem Daniele Stuyvenberg Metropolitanam Honiaranum haberi et esse placet. Ceterum haec, quae decrevimus, Venerabilis Frater Andreas Cordero Lanza di Montezemolo, Archiepiscopus titulo Anglonensis atque Apostolicus Delegatus in Salomoniis Insulis, ad exitum deducet vel, quem ipse delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta sincere exarata ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittantur. Haec quae per has Litteras decrevimus, firma et efficacia esse foreque per saecula volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo quinto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo octavo, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES Card. VILLOT
Secretarius Status

AGNELLUS Card. ROSSI
*S. Congr. pro Gentium Evangelizatione
seu de Propaganda Fide Praefectus*

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*AAS, vol. LXXI (1979), n. 2, pp. 87-88.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana